

Quarta utilitas resurrectionis.

XXV. Neque vero Apostoli verba id solum demonstrant (*a*), Christi resurrectionem ad resurrectionis exemplum nobis proponit; verum etiam resurgendi virtutem nobis praebere, viresque et spiritum largiri, quo in sanctitate et justitia permaneamus ac Dei precepta servemus, declarant. Nam quemadmodum ex ejus morte, non solum peccatis morienti exemplum capimus, sed virtutem etiam haurimus qua peccatis moriamur, ita ejus resurrectio ad justitiam consequendam nobis vires affert, ut deinde pie et sancte Deum colentes in novitate vite ambulemus ad quam resurgimus. Hoc enim maxime resurrectione sua Dominus effectit, ut qui antea una cum illo peccatis, et huic saeculo mortui eramus, cum illo etiam ad novam vitam institutionem et disciplinam resgeremus.

Signa resurrectionis a peccato.

XXVI. Hujus resurrectionis qua potissimum signa observanda sint Apostolus nos admonet; nam cum inquit (*b*): Si consurrexisti cum Christo, qua sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; plane ostendit, eos qui vitam honores, otium, divitias ibi maxime, ubi Christus est, habere cupiunt, vere cum Christo surrexisse. Cum vero addit: Quae sursum sunt sapite, non quae super terram, alteram etiam hanc velut notam apposuit, qua perspicere possumus, num vere cum Christo surrexiimus. Ut enim corporis affectionem et valetudinem gustus indicare solet: ita si (*c*) quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta aliqui sapiant, isque cœlestium rerum jucunditatem in-

(a) Rom. 6, 4, 5. — *(b)* Col. 3, 1. — *(c)* Phil. 4, 8.

timæ mentis sensu percipiat, hoc maximo argumento esse potest eum qui ita affectus sit, ad novam et spiritualem vitam una cum Christo Jesu resurrexisse.

ARTICULUS VI.

Solemnitas et fides Ascensionis qualis.

I. Ascendit ad celos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. David propheta, cum beatam et gloriósam Domini ascensionem Spiritu Dei plenus contemplaret, omnes ad eum triumphum summa letitia, et gaudio celebrandum illis verbis horretatur, cum inquit (*a*): Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis: ascendit Deus in jubilatione. Ex quo intelliget parochus, maximo studio hoc mysterium explicandum esse, sibiisque diligenter curandum ut fideles illud non solum fide et mente percipient, sed, quoad ejus fieri poterit, juvante Domino, factis et vita exprimere studeant.

Hujus articuli pars prior.

II. Quod igitur ad sexti articuli explanationem attinet, in quo potissimum de divino hoc mysterio agitur, a priorie ejus parte incipendum est, et que ejus sit vis, atque sententia, aperiendum.

Quid hic credendum.

Primo. — III. De Christo enim Iesu illud etiam fideles sine ulla dubitatione credere oportet, eum, perfecto jam et absoluto redemptiois nostræ mysterio, ut homo est, in cœlum corpore et anima ascendisse: nam ut Deus est, nunquam ab eo absuit, ut qui divinitate sua loca omnia compleat.

Secundo. — Ascendisse autem sua virtute do-

(a) Psal. 46, 1, 6.

ceat, non aliena vi sublatum, quemadmodum (a) Elias, qui igneo curru in cœlum evectus est, vel (b) Habacuc propheta, vel (c) Philippus diaconus qui divina virtute per aerem delati, longinqua terrarum spatia permearunt.

Tertio. — Neque vero solum, ut Deus, præpotenti divinitatis virtute in celos ascendit; sed etiam, ut homo est.

Quarto. — Quamvis enim naturali vi id fieri non potuerit, tamen virtus illa, qua beata Christi anima prædicta erat, corpus ut libuit, movere potuit.

Quinto. — Corpus vero, quod jam gloriam adeptum erat, moventis animæ imperio facile parebat.

Sexto. — Atque hac ratione, ut Deus et ut homo est, Christum in cœlum sua virtute ascendisse credimus; in altera articuli parte hæc sunt.

Troporum unus et necessitas.

IV. Sedet ad dexteram Patris. Quo loco tropum, id est, verbi immutationem licet animadvertere frequentem in divinis litteris, cum humanas affectiones et membra ad nostram intelligentiam accommodantes, Deo tribuumus; neque enim, eum spiritus sit, quidquam in eo corporum cogitari potest. Sed quoniam in humanis rebus ei majorem honorem tribui existimamus, qui ad dexteram collocatus est, eamdem rem ad cœlestia etiam transferentes, ad explicandam Christi gloriam, quam, ut homo, præ ceteris omnibus adeptus est, eum in Patris dextera esse confitemur (d).

Sedere hic quid sit.

V. Sedere autem hoc loco non sicut et figuram

(a) 4 Reg. 2, 11. — (b) Dan. 14, 35. — (c) Act. 8, 59. —
(d) Dionys. Areop. Epist. 9.

corporis significat, sed eam regiae summæque potestatis ac glorie firmam et stabilem possessionem, quam a Patre accepit, declarat; de quo ait Apostolus (a) : Suscitans illum a mortuis et constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; et omnia subiect sub pedibus ejus. Ex quibus verbis appetat hanc gloriam adeo propriam et singularem Domini esse, ut cuivis alii create naturæ convenire non possit. Quare alio loco testatur (b) : Ad quem autem angelorum dixit aliquando : Sede a dextris meis?

Omnia mysteria ad ascensionem referenda.

VI. Sed articuli sensum parochus latius explabit ascensionis historiam persequens, quam sanctus Lucas Evangelista in (c) Actis Apostolorum admirabili ordine descripsit. In cupus explicatione illud primum observare oportebit catena omnia mysteria ad ascensionem tanquam ad finem, referri, in eoque omnium perfectionem et absolutionem contineri; nam ut ab incarnatione Domini omnia religionis nostræ mysteria initium habent, ita ascensione ejus peregrinatio concluditur.

*Reliqua vita Christi cum ascensione
comparatur.*

VII. Præterea, alia Symboli capita, quæ ad Christum Dominum pertinent, summam ejus humilitatem et contemptiōnem ostendunt: neque

(a) Eph. 4, 20. Athan. serm. 1, contra Arian. Basil. lib. de Spir. saec. c. 6. — (b) Heb. 1, 15. — (c) Act. 1.

enim abjectius, aut humilius quidquam cogitari potest, quam quod Filius Dei pro nobis humanam naturam et imbecillitatem assumperit, patique et mori voluerit. At vero, quod tum superiori articulo a mortuis resurrexisse, nunc vero in celum ascendiisse, et ad Dei Patris dexteram sedere confitemur, nihil ad ejus summam gloriam, divinamque majestatem declarandam magnificientius dici aut admirabilius potest.

Ascensionis causa.

VIII. Jam his expositis, accurate docendum est cuius rei causa Christus Dominus in celos ascendit.

Prima. — Primum enim ascendit propterea quod ejus corpori, quod immortalitatis gloria in resurrectione donatum fuerat, non terrena hujus, et obscurae habitationis locu, sed altissimum et splendidissimum cieli domicilium convenient.

Secunda. — Nec vero solum ut ejus gloriae et regni solum potiretur, quod sanguine meruerat, verum etiam ut ea qua ad salutem nostram pertinebant curaret.

Tertia. — Deinde, ut (a) regnum suum non esse in hoc mundo re ipsa comprobaret : nam mundi regna terrena et fluxa sunt, magnisque opibus et carnis potentia nituntur : Christi vero regnum non terrenum, quale Iudei exspectabant, sed spirituale et aeternum ; itemque ejus opes et divitias spirituales esse ipse ostendit cum et suam sedem in celis collocavit : in quo quidem regno illi ditiones et omnium bonorum copia affluentiores existimandi sunt, qui ea quae Dei sunt diligenter querunt : nam et sanctus Jacobus

(a) Joan. 18, 55.

testatur (a) Deum elegisse pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni quod repromisit Deus diligentibus se.

Quarta. — Sed illud etiam Dominus noster in celum ascendens efficere voluit, ut nos eum ascendentem mente et desiderio prosequeremur : nam quemadmodum morte et resurrectione sua moriendi et resurgendi spiritu exemplum nobis reliquerat, ita ascensu nos docet atque instruit, ut in terris positi, in celum nos cogitatione conferamus (b), confitentes nos peregrinos et hospites esse super terram ac patriam inquirentes, (c) cives esse sanctorum, et domesticos Dei. (d) Nostra enim, ut idem inquit Apostolus, conversatio in celis est.

Ascensionis Christi utilitates.

IX. Jam vero vim et magnitudinem inexplicabilium bonorum, quae in nos Dei benignitas effundit divinus David, Apostolo interprete, multo ante cecinerat illis verbis (e) : Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.

Prima. — Nam decimo die Spiritum sanctum dedit, cuius virtute atque ubertate complevit presentem illam fidelium multitudinem.

Secunda. — Et vere tum magnifica illa promissa persolvit (f) : Expedite vobis ut ego vadam : si enim non abiiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiiero, mittam eum ad vos.

Tertia. — Ascendit etiam in celum, ex Apostoli sententia (g), ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, et apud Patrem advocati officio fungatur.

(a) Jac. 2, 5. — (b) Heb. 11, 13. — (c) Eph. 2, 19. — (d) Phil. 5, 20. — (e) Psal. 67, 19. Ephes. 4, 8. — (f) Joan. 16, 7, 8. Act. 1, 4, 5. — (g) Hebr. 9, 24.

Filioli mei, inquit sanctus Joannes (*a*), hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Nec vero quidquam est, unde fideles maiorem letitiam, et animi jucunditatem capere debant, quam Iesum Christum patronum causæ ac deprecatorum salutis nostre constitutum esse, cuius sit apud æternum Patrem summa gratia et auctoritas.

Quarta. — (*b*) Paravit denique nobis locum, quod etiam se facturum promiserat, atque omnium nostrum nomine caput ipse Jesus Christus venit in cœlestis gloriæ possessionem.

Quinta. — Nam in cœlum abiens, portas, quæ Adami peccato interclusæ fuerant, patefecit, non bisque viam munivit quia ad celestem beatitudinem perveniremus, quemadmodum ipse in cœna discipulis futurum prædixerat: quod quidem ut rei etiam eventu aperte comprobaret, plorum animas quas ab inferis eripuerat, secum in æternæ beatitudinis domicilium introduxit.

Ascensionis alia beneficia.

X. Hanc celestium munerum admirabilem copiam salutaris illa commendorum series consecuta est.

Primum. — Primum enim fidei nostræ merito maximus cumulus accessit: nam fides earum rerum est, quæ sub aspectum non cadunt, atque ab hominum ratione ac intelligentia remotæ sunt. Quare si Dominus a nobis non discessisset, fidei nostræ meritum minueretur: sicut et a Christo Domino (*c*) beati prædicantur, qui non viderunt et crediderunt.

(*a*) 1 Joan. 2, 1. — (*b*) Joan. 14, 2. — (*c*) Joan. 20, 29.

Secundum. — Præterea Christi in cœlum ascensus ad confirmandam spem in cordibus nostris magnum momentum habet, nam quoniam Christum hominem in cœlum ascendisse, et humanam naturam in dextera Dei Patris collocasse credimus, magna in spe sumus, fore ut nos etiam ejus membra, illuc ascendamus, atque ibi cum capite nostro conjugamur: quod ipse Dominus his verbis testatus est (*a*): Pater, quos dedisti mihi volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum.

Tertium. — Deinde hoc quoque, vel maximum beneficium consecuti sumus, quod amorem nostrum ad cœlum rapuit, ac divino spiritu inflammat: nam verissime dictum est (*b*) ibi cor nostrum esse, ubi thesaurus noster est. Ac profecto, si Christus Dominus in terris versaretur, omnis nostra cogitatio in ipso hominis aspectu et consuetudine defixa esset; et illum duntaxat hominem spectaremus, qui nos tantis beneficiis asseruit, eumque terrena quadam benevolentia prosequeremur; verum in cœlum ascendens, amorem nostrum spirituale reddit, effectique ut quem nunc absentem cogitamus, eum ut Deum veneremur et diligamus. Id autem partim Apostolorum exemplo intelligimus, quibus dum praesens adfuit Dominus humano fere sensu de illo judicare videbantur: partim vero ipsius Domini testimonio confirmatum est, cum inquit (*c*): Expedi vobis ut ego vadam, nam imperfectus ille amor, quo Christum Iesum presentem diligebant, divino amore perficiendus erat, idque Spiritus sancti adventu: quare statim addit: Si enim non abierto, Paracletus non veniet ad vos.

Quartum. — Accedit etiam, quod in terris domum suam, id est Ecclesiam, amplificavit, quæ

(*a*) Joan. 17, 24. — (*b*) Matth. 6, 21. — (*c*) Joan. 16, 7.

Spiritus sancti virtute et ductu gubernaretur : ejus vero universo inter homines pastorem et summum antistitem Petrum. Apostolorum principem, reliquit : tum vero dedit (*a*) quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, atque ita ad dexteram Patris sedens, aliis atque aliis diversa dona semper impertitur; nam testatur Apostolus (*b*) unicuique nostrum datam esse gratiam secundum mensuram donationis Christi.

Quintum. — Ad extreum vero, quod antea de mortis et resurrectionis mysterio docuimus, idem etiam de ascensu fidelibus cogitandum est, quamvis enim Christi passioni salutem et redemptionem nostram debeamus, qui merito suo aditum justis ad celum aperuit : tamen ejus ascensus non solum veluti exemplar nobis propositum est, quo alte spectare, et spiritu in celum ascendere discamus, sed divinam etiam virtutem, qua id efficere possimus, largitus est.

ARTICULUS VII.

Tria Christi officia.

I. Inde venturus est judicare vivos et mortuos.
Tria sunt Domini Iesu Christi ad suam Ecclesiam decorandam et illustrandam insignia officia et munera, redemptionis, patrocinii et judicii. Cum autem superioribus articulis ab eo genus humanae passione et morte redemptum esse, ascensu etiam in celum, nostram causam et patrocinium in perpetuum susceptum conset, sequitur ut ejus judicium hoc articulo declaretur.

(*a*) Eph. 4, 11. — (*b*) Eph. 4, 7.

De judicio extremo quid credendum.

II. Cujus articulæ vis est et ratio, summo illo die Christum Dominum de universo hominum generare judicaturum esse. Sacra enim Litteræ duos Filii Dei adventus esse testantur : alterum, cum salutis nostræ causa carnem assumpsit, et homo in virginis alvo effectus est; alterum, cum in consummatione seculi ad judicandos omnes homines veniet. Hic adventus in sacris Litteris dies Domini appellatur : de quo Apostolus ait (*a*) : Dies Domini, sicut tur in nocte, ita veniet. Et Salvator ipse (*b*) : De die autem illa et hora nemo scit. Ac de summo iudicio satis sit illa auctoritas Apostoli (*c*) : Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Plena enim est sacra Scriptura testimoniorum, quæ passim parochis occurrent, ad rem non solum comprobandam, sed etiam fidelium oculis subjiciendam : ut quemadmodum a mundi initio (*d*) dies ille Domini, quo humanam carnem induit, omnibus optatissimus semper fuit, quod in eo mysterio liberationis sue spem positam haberent : ita deinceps post Filii Dei mortem et ascensum in celum (*e*), alterum diem Domini vehementissimo studio desideremus (*f*), expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei.

Duplex iudicium.

III. Sed duo tempora parochis, ad rei explicacionem observanda sunt, in quibus unicuique necesse est in conspectum Domini venire, et sin-

(*a*) 1 Thess. 5, 2. — (*b*) Matth. 21, 56. Marc. 13, 52. — (*c*) 2 Cor. 5, 10. — (*d*) 1 Reg. 2, 10. Isa. 2, 12, 19, et 15, 9. Jerem. 50, 25. Dan. 7, 9. Joel. 2, 1. — (*e*) Matth. 12, 56. — (*f*) Tit. 2, 15.

gularum cogitationum, actionum, verborum, deinde omnium rationem reddere, demumque judicis presentem subire sententiam.

Particulare.

Primum est, cum unusquisque nostrum ministraverit e vita: nam statim ad Dei tribunal sistitur, ibique de omnibus justissima questio habetur, quecumque aut egerit, aut dixerit, aut cogitaverit unquam; atque hoc *privatum judicium* vocatur.

Generale.

IV. Alterum vero, cum uno die, atque uno in loco omnes simul homines ad tribunal judicis stabunt, ut omnibus omnium sacerdorum hominibus inspectantibus et audiendibus, singuli quid de ipsis decretum et judicatum fuerit cognoscant: cuius sententiae pronuntiatione impii et sceleris hominibus non minima futura est poenarum et suppliciorum pars; rursus vero pii et justi non parvum ex ea premium fructumque percepturi sunt, cum qualisque in hac vita fuerit, apparebit. Hoc autem *generale judicium* appellatur.

Judicium generale cur futurum.

V. De quo illud necessario ostendendum est: quae causa fuerit cur, praeter privatum de singulari, alterum etiam de universis hominibus judicium exerceretur.

Prima causa.

Nam cum, vel ipsis hominibus mortuis interdum superstites sint filii parentum imitatores, reliqui sint liberi, discipuli, exemplorum, orationum, actionum amatores, ac propugnatores, quibus rebus ipsorum mortuorum premia et penas augeri necesse est: cum haec vel utilitas, vel calamitas ad plurimos pertinens, non prius

finem habitura sit, quam extremus veniat mundo dies; secundum erat de universa hac recte, aut perperam factorum dictorumque ratione perfectam quæstionem haberi: quod fieri non poterat, nisi facto communi omnium hominum judicio.

Secunda. — Accedit etiam, quod cum piorum fama saepe laudetur, impii vero innocentiae laude commendentur, divinae justitiae ratio postulat, ut pii eruptam injuria apud homines existimationem, in publico universorum hominum conventu et iudicio recuperent.

Tertia. — Deinde vero boni et mali homines, quæcumque in vita egerunt, cum non sine corporibus egerint, omnino sequitur ut benefacta, sive malefacta ad corpora etiam pertineant, que actionum ipsarum instrumentum fuerunt. Maxime igitur conveniebat, corporibus una cum eorum animis debita æternæ gloriae præmia aut supplicia impertiri: quod quidem neque sine omnium hominum resurrectione, neque sine generali iudicio fieri poterat.

Quarta. — Postremo, quoniam in adversis et secundis hominum rebus, que promiscue non nunquam bonis et malis eveniunt, probandum erat nihil non infinita Dei sapientia et justitia geri, ac gubernari, par fuit, non solum bonis præmia, improbis supplicia in futuro seculo constitui, verum etiam publico ac generali iudicio decerni: quo omnibus notiora et illustriora fierent atque ut Deo justitiae et providentiae laus ab omnibus tribueretur, pro injusta illa querela, quam sancti etiam viri deplorare interdum, ut homines solebant, cum improbos valentes ophibus et honoribus florentes animadverterent. Nam Propheta (a) : Mei, inquit, pene moti sunt pedes,

(a) Ps. 72, 2, 3.

pene effusi sunt gressus mei quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns; et paulo post (a) : Ecce ipsi peccatores et abundantes in seculo obtinuerunt divitias; et dixi : Ergo, sine causa justificavi cor meum; et lavi inter innocentes manus meas : et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis. Atque haec frequens querala multorum fuit. Ergo necesse erat ut generale judicium exerceretur, ne forte homines dicerent (b) : Deum circa cardines caeli perambulantem non curare terrena. Hac autem veritatis formula, jure una ex duodecim fidei christianaæ articulis constituta est, ut, si quorum animi in providentia et justitia Dei nutarent, hujus doctrinae ratione confirmarentur.

Quinta. — Præterea, proposito judicio pios recreari, impios terri oportebat, ut, cognita Dei justitia, illi ne deficerent, hi a malis æterni supplicii metu atque expectatione, revocarentur. Quare Dominus, et Salvator noster, cum de extremo die loqueretur, declaravit futurum aliquando generale judicium, (c) signaque adventantis ejus temporis descripsit : ut, cum illa viderimus, finem saeculi prope esse intelligamus, ac deinde in celum ascendens Angelos misit, qui Apostolos, ejus absentia mœrentes, his verbis consolarentur (d) : Ilic Jesus, qui assumptus est a vobis in celum, sic veniet, quemadmodum vindistis eum euentum in celum.

Christus etiam ut homo judex omnium est.

VI. Verum Christo Domino non solum ut Deo, sed etiam ut homini hoc judicium datum esse sacra Litteræ declarant: quamvis enim judicandi

(a) Ps. 72, 12, 15, 14. — (b) Job. 22, 14. — (c) Matth. 24, 29. — (d) Act. 1, 11.

potes omnibus sanctæ Trinitatis personis communis sit, præcipue tamen Filio eam tribuimus: quod ipsi quoque sapientiam convenire dicimus. Quod autem, ut homo, mundum judicaturus sit, Domini testimonio confirmatur, qui inquit : (a) Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso, et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.

Cur Christus ut homo judex futurus.

VII. Decebat autem maxime a Christo Domino hoc judicium exerceri, ut, cum de hominibus decernendum esset, illi corporeis oculis judicem videre, et auribus sententiam qua proferebatur, audire possent, et omnino judicium illud sensibus percipere. Ac præterea aquissimum erat ut homo ille qui iniquissimi hominum sententias condemnatus fuerat, omnium deinde judex sedere ab omnibus conspiceretur. Quamobrem Apostolorum principes, cum in Cornelii domo summa christianæ religionis capita exposuisset, docuissetque Christum a Judæis in ligno suspensum, atque occisum, tertia vero die ad vitam resurrexisse, subiunxit : (b) Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.

Signa judicium præcedentia.

VIII. Sed tria haec præcipua signa judicium antecessura esse sacra Litteræ declarant, prædicationem Evangelii per universum orbem, dictionem, antichristum: inquit enim Dominus : (c) Predicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio; et Apostolus nos admo-

(a) Joan. 5, 26, 27.—(b) Act. 10, 42.—(c) Matth. 24, 14.

net, (a) ne ab aliquo seducamur; quasi instet dies Domini; quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, judicium non fieri. Quae autem judicij forma, et ratio futura sit parochis ex Danielis (b) oraculis, tam ex sanctorum Evangeliorum, et Apostoli doctrina facile erit cognoscere.

*Sententiae ultimi iudicii pronuntiationis
et expositio.*

IX. Præterea sententia, qua a iudice pronuntianda sit, diligenter hoc loco expendenda erit. Christus enim Salvator noster, latis oculis pios a dextera stantes intuens, ita de illis iudicium summa cum benignitate pronuntiabit: (c) Venite, benedicti Patris mei; possidete regnum quod paratum est vobis a constitutione mundi. Quibus verbis nihil iucundius audiri posse illi intelligent, qui ea cum impiorum damnatione contulerint, ac cum animo suo cogitaverint, iis verbis pios et justos homines a laboribus ad quietem, a lacrimarum valle ad summum gaudium, a miseria ad perpetuam beatitudinem, quam illi charitatis officiis promeriti fuerint, vocari. Deinde ad eos, qui a sinistra stabunt, conversus, suam justitiam in eos effundet his verbis: (d) Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus.

Sententia reproborum expenditur.

X. Prioribus illis verbis: Discedite a me, maxima pena significatur, qua impii plectendi erunt, cum a Dei aspectu quam longissime ejiciantur; neque ulla spes eos consolari poterit, fore aliquando ut tanto bono perfruantur. Atque haec

— (a) 2 Thess. 2, 5. — (b) Dan. 7, 9. — (c) Matth. 25, 54.
— (d) Matth. 25, 41.

quidem (a) a theologis pena damni appellata est, quo scilicet impii apud inferos divinæ visionis luce perpetuo carituri sint. Quod vero additur: Maledicti, mirum in modum auget illorum miseriam et calamitatem. Si enim cum a divina praesentia expellendi essent, aliqua saltem benedictione digni haberentur, hoc profecto magno eis solatio esse potuisset. At quoniam nihil ejusmodi ipsis expectandum est, quod calamitatem leviores faciat: jure optimo, cum expellentur, divina justitia eos omni maledictione persecutur. Sequitur deinde: In ignem æternum, quod quidem alterum poenarum genus, penam sensus theologi vocarunt, propterea quod sensu corporis percipiatur, ut in verberibus, et flagellis aliye graviore suppliciorum genere, inter quæ dubitari non potest, tormenta ignis summum doloris sensum efficere: cui malo cum accedat, ut perpetuum tempus duraturum sit, ex eo ostenditur, damnatorum penam omnibus suppliciis cumulandam esse; atque hoc magis declarant verba illa, que in extrema sententiae parte posita sunt: Qui paratus est diabolo et angelis ejus. Cum enim ita comparatum sit, ut omnes molestias levius feramus, si calamitatis nostra socium aliquem et consortem habeamus, cujus prudentia, atque humanitate aliqua ex parte juvari possimus; qua tandem erit damnatorum miseria, quibus in tantis ærumnis a perditissimorum dæmonum societate divelli nunquam licebit, et haec quidem sententia in impios justissime a Domino Salvatore nostro feretur, ut qui omnia vera pietatis opera neglexerint, et esurienti ac sitienti nec cibum, nec potum mi-

(a) Chrysost. in Matth., hom. 25. Augustin. serm. 181, de Temp. Greg. lib. 4 Moral. cap 46.

nistraverint, hospitem non exceperint, nudum non operuerint, aut in carcere inclusum, ægrumque non visitarint.

De iudicio frequens sermo habendus, et cur.

XI. Hæc sunt quæ pastores fidelis populi aribus sepiissime inculcare debent, (a) nam hujus articuli veritas fide concepta maximam vim habet ad frenandas pravas animi cupiditates, atque a peccatis homines abstrahendos. Quare in Ecclesiastico dictum est: (b) In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Ac profecto vir quisquam adeo præcepis in sceleris feretur, quem illa cogitatio ad pietatis studium non revocet, fore aliquando, ut ei apud justissimum judicem omnium non solum factorum dictorumque, sed occultissimarum etiam cogitationum ratio reddenda, et pro meritis præna persolvenda sit. Justus vero ad colendam justitiam magis ac magis incitetur ac summa letitia efficeratur necesse est, quamvis etiam in egestate, et infamia, et cruciatibus vitam degat, cum animum ad eum diem referat, quo post ærumnosæ hujus vita certamina, victor universi hominibus audientibus declarabitur, et divinis atque illis quidem æternis honoribus in celestem patriam receptus afficietur. Quod igitur reliquum est, hortari fideles oportet, ut optimè vivent rationem comparant, ad omne pietatis studium se exerceant, quo possint adventantem magnum illum diem Domini, majore cum securitate animi expectare, atque adeo, ut filios decet, cum summa cupiditate expetere.

(a) Aug., serm. 120, de Temp. Greg. hom. 59, in Evang. Bernard. serm. t, in festo omnium sanctorum.—(b) Eccl. 7, 40.

ARTICULUS VIII.

Fides in Spiritum sanctum necessaria.

I. *Credo in Spiritum sanctum.* Hactenus, quæ ad primam et secundam sanctæ Trinitatis personam pertinebant, quantum propositi argumenti ratio postulare videbatur, exposita sunt: sequitur nunc ut illa etiam, quæ in Symbolo de tertia persona, hoc est de Spiritu sancto, traduntur, explicentur. Quia in re declaranda omne studium et diligentiam pastores adhibebunt, cum homini christiano non magis licet hanc partem ignorare, vel de ea minus recte sentire, quam de aliis superioribus articulis existimandum sit. Quare Apostolus (a) non permisit Ephesios quosdam Spiritus sancti personam ignorare: a quibus cum quæsisset an Spiritum sanctum accepissent, cum illi, ne si Spiritus sanctus quidem esset, se scire respondissent, statim rogavit: In quo ergo baptizati estis? Quibus verbis significavit distinctam hujus articuli notitiam fidelibus maxime necessariam esse, ex qua eum precipue fructum capiunt, quod cum attente cogitant, se quidquid habent Spiritus sancti munere et beneficio consecutus esse: tum vero de se ipsis molestius et humilius sentire, et in Dei presidio omnem spem ponere incipiunt, qui primus homini christiano gradus ad summam sapientiam et felicitatem esse debet.

Spiritus sanctus quid proprie significet.

II. Hujus igitur articuli explanationem a vi et notione quæ hoc loco *Spiritus sancti* vocabulo subjecta est, exordiri oportebit; nam cum illud æque de Patre et Filio rectissime dicatur (uter-

(a) Act. 19, 2, 5.

que enim Spiritus est, et sanctus; siquidem Deum Spiritum esse confitetur); deinde vero hac voce Angeli etiam et piorum animarum significantur, cavendum est ne populus verbi ambiguitate in errorem inducatur. Quare docendum est in hoc articulo, *Spiritus sancti* nomine tertiam Trinitatis personam intelligi, quo modo in sacris Litteris, tum Veteris nonnunquam, tum Novi Testamenti frequenter accipitur, nam David precatur (a): Et Spiritum sanctum tuum ne auferas me. In libro Sapientie legimus (b): Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et misericordia Spiritum sanctum tuum de altissimis? et alibi (c): Ipse creavit illam in Spiritu sancto. In Novo vero Testamento jubemur (d) baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et (e) sanctissimam Virginem de Spiritu sancto concepisse legimus, tum vero a sancto Joanne ad Christum mittitur (f) qui nos in Spiritu sancto baptizat: ac plurimis præterea aliis in locis ea vox legendibus occurrit.

Spiritus sanctus cur proprio nomine careat.

III. Verum nemo mirari debet tertiae personæ, quemadmodum primæ et secundæ, proprium nomen tributum non esse; nam secunda persona ideo proprium nomen habet, et Filius dicitur, quia ejus aeternus a Patre ortus proprie generatio vocatur, ut in superioribus articulis explicatum est. Ut igitur ortus *ille generationis* nomine significatur: ita personam qua emanat proprie *Filium* appellamus, et a qua emanat, *Patrem*. Nunc cum tertiae personæ productioni proprium nomen im-

(a) Ps. 50, 15. — (b) Sap. 9, 17. — (c) Eccli. 1, 9. —
(d) Matth. 28, 19. — (e) Matth. 1, 20. — (f) Luc. 1, 35.
Joan. 1, 35.

positum non sit, sed *spiratio* et *processio* appellantur, sequitur ut etiam persona qua productur suo nomine careat. Nullum autem proprium nomen ejus emanatio habet, præterea quod nomina qua Deo tribuantur a rebus creatis mutuari cungimur: in quibus quoniam nullam sicut naturæ et essentie communicandæ rationem quam generandi virtute agnoscamus, ob eam causam fit, ut rationem qua seipsum totum Deus vi amoris communicat, proprio vocabulo exprimere non possimus. Quare communi *Spiritus sancti* nomine tercia persona appellata est: quod quidem illi maxime convenire ex eo intelligimus quia spiritualem vitam in nos infundit, ac sine ejus sanctissimum numinis afflato nihil æterna vita dignum efficiere possumus.

Spiritus sanctus Deus qualis Patri et Filio probatur.

IV. Verum, explicata vocabuli significatione, docendum in primis erit populus, Spiritum sanctum aequa ac Patrem et Filium Deum esse, eiusdem aqualem, aquæ omnipotentem, aeternum, et infinitæ perfectionis summum bonum, ac sapientissimum, ejusdemque cum Patre et Filio natura.

Primo. — Quod quidem, illius vocis *in*, cum dicimus: Credo in Spiritum sanctum, proprietas satis indicat, que, ad exprimendam fidei nostræ vim, singulis Trinitatis personis apposita est.

Secundo. — Atque id etiam aperta sacrarum Litterarum testimonia confirmant; nam cum sanctus Petrus in Actis Apostolorum dixisset (a): Anania, cur tentavit Satanás cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? Mox inquit (b): Non est men-

(a) Act. 5, 5. — (b) Act. 5, 4.

titus hominibus, sed Deo : quem prius Spiritum sanctum appellaverat, eundem statim Deum vocat.

Terlio. — Apostolus etiam ad Corinthios, quem Deum dixerat, Spiritum sanctum esse interpretatur. (a) Divisiones, inquit, operationum sunt : idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Deinde subjungit : Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus sanctus, dividens singulis prout vult.

Quarto. — Præterea in Actis Apostolorum, quod uni Deo prophetæ tribuant, ille Spiritui sancto adscribit; dixerat enim Isaías : (b) Audivi vocem Domini dicentes : Quem mittam? et dixit mihi : Vade et dices populo huic : Exæcta cor populi hujus, et aures ejus agrava, et oculos ejus clade, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat. Quæ verba cum Apostolus citaret (c) : Bene, inquit, Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam.

Quinto. — Deinde vero cum Scriptura Spiritus sancti personam cum Patre et Filio conjungit, ut cum Patris, et Filii, et Spiritus sancti nomen in baptismo adhiberi precipit, nullus nobis de hujus mysterii veritate dubitandi locus relinquitur; nam si Pater Deus est, et Filius Deus, omnino fateri cogimur etiam Spiritum sanctum, qui cum eis pari honoris gradu conjungitur, Deum esse.

Sexto. — Accedit autem quod is, qui in nomine cuiusvis rei creatæ baptizatur, nullum ex eo fructum consequi potest (d). Numquid in nomine Pauli, inquit, baptizati estis? it ostenderet hoc eis nihil ad comparandam salutem profuturum

(a) 1 Cor. 12, 6, 11. — (b) Isa. 6, 8. — (c) Act. 28, 25.
— (d) 1 Cor. 1, 15.

esse. Cum igitur baptizemur in nomine Spiritus sancti, eum esse Deum fateri oportet.

Septimo. — Sed hunc eundem trium personarum ordinem, quo Spiritus sancti divinitas comprobatur, licet animadvertere, tum in Epistola Joannis (a) : Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt : tum ex preclaro illo sanctæ Trinitatis elogio, quo divinae laudes et psalmi concluduntur : Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Octavo. — Postremo, quod ad eam veritatem confirmandam maxime pertinet, quæcumque Dei propria esse credimus ea Spiritui sancto convenire sacra Litteræ testantur. Quare illi templorum honorem tribuant, ut cum Apostolus ait (b) : An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti? Item (c) sanctificationem, et (d) vivificationem : et (e) scrutari profunda Dei; et (f) per prophetas loqui, et (g) ubique esse; quæ omnia divino tantum numini tribuenda sunt.

Spiritus sanctus a Patre et Filio, distincta persona.

V. Sed illud præterea fidelibus accurate explanandum est Spiritum sanctum ita Deum esse, ut eum tertiam personam in divina natura a Patre et Filio distinctam et voluntate productam confiteri oporteat; nam, ut alia Scripturarum testimonia omittantur, (h) baptismi forma, quam Salvator noster docuit, apertissime ostendit Spiritum sanctum tertiam esse personam, quæ in divina natura per se constet et ab aliis distincta sit. Quod

(a) 1 Joan. 5, 7. — (b) 1 Cor. 6, 19. — (c) 2 Thess. 2, 13. 1 Petr. 1, 2. — (d) 2 Cor. 3, 6. — (e) 1 Cor. 2, 10. — (f) Petr. 1, 21. — (g) Sap. 1, 7. — (h) Matth. 28, 19.

etiam Apostoli verba declarant, cum inquit (*a*) : *Gratia Domini nostri Iesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.* Item vero multo aperius demonstrant, quæ Patres in Constantinopolitano primo concilio hoc loco ad confutandam impian Macedonii amentiam addiderunt. Et in *Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur*: qui locutus est per prophetas. Quod igitur *Spiritum sanctum Dominum* constiterunt, in eo declarant quantum Angelis antecellat, qui tamen nobilissimi spiritus a Deo conditi sunt: illos enim omnes sanctus Paulus testatur esse (*b*) *administratores spiritus, in ministerium missos, propter eos qui hereditatem capiunt salutis.*

Spiritus sanctus cur dicatur vivificantis.

VI. Vivificantem vero appellant, quod anima cum Deo conjuncta magis vivit, quam corpus anima conjunctione alitur, ac sustinetur. Quoniam vero Spiritui sancto sacra Litteræ hanc animæ cum Deo conjunctionem tribuant, rectissime vivificantem Spiritum sanctum vocari perspicuum est.

Spiritus sanctus a Patre et Filio quomodo procedit.

VII. Jam vero quod sequitur, *Qui ex Patre Filioque procedit, docendi sunt fideles Spiritum sanctum a Patre et Filio tanquam ab uno principio æterna processione procedere; id enim ecclesiastica regula a qua christiano non licet aberrare credendum nobis proponit, et divinarum Litterarum et conciliorum auctoritate confirmatur:*

(*a*) 2 Cor. 13, 15. — (*b*) Hebr. 4, 14.

nam Christus Dominus cum de Spiritu sancto loqueretur, dixit (*a*): *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Hoc idem ex eo colligitur, quod in Scripturis sacris Spiritus sanctus nonnunquam *Spiritus Christi*, interdum *Spiritus Patris* appellatur; modo a (*b*) Patre, modo a (*c*) Filio mitti dicitur, ut aequa a Patre et Filio procedere non obscurè significetur (*d*). Qui *Spiritum Christi* non habet, inquit sanctus Paulus, hic non est ejus; et idem *Spiritus Christi* vocat, cum ad Galatas inquit (*e*): *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater. Apud sanctum Matthæum, *Spiritus Patris* appellatur (*f*)*: Non vos estis qui loquimini, sed *Spiritus Patris vestri*; et Dominus in cena inquit (*g*): *Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, illa testimonium perhibebit de me; tum alibi eundem Spiritum sanctum a Patre mittendum affirmat his verbis (*h*)*: *Quem mittet Pater in nomine meo. Ex quibus verbis cum processionem Spiritus sancti intelligamus, perspicuum est eundem ab utroque procedere. Haec sunt quæ de Spiritu sancti persona tradendæ erunt.**

De Spiritu sancti attributis.

VIII. Docere præterea oportebit quosdam esse Spiritus sancti admirabiles effectus et amplissima quædam munera, que ab ipso tanquam a perenni bonitatis fonte, oriri et manare dicuntur. Quamvis enim sanctissimæ Trinitatis opera, quæ extrinsecus fiunt, tribus personis communia sint, ex iis tamen multa Spiritui sancto propria tribuantur

(*a*) Joan. 16, 14. — (*b*) Joan. 14, 26. — (*c*) Joan. 15, 26.

— (*d*) Rom. 8, 9. — (*e*) Gal. 4, 6. — (*f*) Matth. 10, 20.

— (*g*) Joan. 15, 26. — (*h*) Joan. 14, 26.

ut intelligamus illa in nos a Dei immensa charitate proficiuntur: nam cum Spiritus sanctus a divina voluntate, veluti amore inflammata, procedat, perspicere potest eos effectus, qui proprie ad Spiritum sanctum referuntur, a summo erga nos Dei amore oriri.

Cur donum appellatur Spiritus sanctus.

X. Quare ex eo consequitur ut Spiritus sanctus donum appelletur; nam doni vocabulo significatur id quod benigne et gratuito, nulla spe remunerationis proposita, donatur. Ac proinde quaecumque bona et beneficia Deo in nos collata sunt (quid autem habemus, quod a Deo, ut inquit Apostolus (*a*) non acceperimus?) ea nobis Spiritus sancti concessu et munere data esse pio et grato animo agnoscere debemus. Ejus autem plures effectus sunt; nam ut mundi creationem, creaturarumque rerum propagationem et gubernationem omniam usus de quibus in primo articulo commemoravimus vivificationem Spiritui sancto proprie tribui paulo ante demonstratum est, et Ezechielis testimonio confirmatur (*b*): Dabo, inquit, vobis Spiritum, et vivetis.

Dona Spiritus sancti.

X. Praecipios tamen et maxime proprios Spiritus sancti effectus propheta enumerat (*c*), Spiritum sapientiae et intellectus; Spiritum consilii et fortitudinis; Spiritum scientiae et pietatis, et Spiritum timoris Domini; que dona Spiritus sancti vocantur; interdum autem *Spiritus sancti* nomen eis tribuitur. Quare sapienter (*d*) divus Augustinus monet animadvertisendum esse, cum in sacris litteris hujus vocis *Spiritus sancti* mentio fit, ut

(*a*) 1 Cor. 4, 7. — (*b*) Ezech. 37, 6. — (*c*) Isa. 11, 5. — (*d*) D. Aug. lib. 15, de Trinit. cap. 18 et 19.

djudicare possumus, tertianae Trinitatis personam, an ejus effectus atque operationes significet; nam haec duo eodem intervallo distinguenda sunt, quo etiam Creatorem a rebus creatis differe credimus; atque haec eo diligentius explicanda sunt, quod ex hisce Spiritus sancti donis, christiana vita praecerta laurimus, sentireque possumus, an Spiritus sanctus in nobis sit.

Gratia justificans munus Spiritus sancti.

XI. Verum, pre ceteris eius amplissimis munieribus, gratia illa praedicanda est, qua nos justos facit, (*a*) signatque Spiritu promissionis sancto qui est pignus hereditatis nostrae. Hec enim mentem nostram arctissimo amoris vinculo Deo jungit (*b*); ex quo fit ut summo pietatis studio accensi, novam vitam instituamus ac (*c*) naturae divinæ participes effecti, (*d*) filii Dei nominemur, et vere simus.

ARTICULUS IX.

Cur hic articulus diligenter explicandus.

I. *Credo sanctam Ecclesiam catholicam.* Quanta diligentia curare pastores debeant, ut hujus noni articuli veritatem fidelibus explicit, si duo potissimum considerantur, facile cognosci poterit. Primum enim, teste sancto Augustino (*e*), prophetae planius et apertius de Ecclesia quam de Christo locuti sunt, cum in eo multo plures errare ac decipi posse quam incarnationis sacramento previderent. Neque enim defuturi erant impii, qui ad similes imitationem que se hominem esse fingit, solos se catholicos esse profiterentur, et catholicam Ecclesiam apud se tantum, non minus

(*a*) Ephes. 1, 15, 14. — (*b*) Concil. Trid. sess. 6. — (*c*) 2 Petr. 1, 4. — (*d*) 1 Joan. 5, 1. — (*e*) S. Augus. in 1 s. 50, 15.